

terris [in quantum licet] gaudium, in aeternitate vero sanctae haereditatis coronam a Domino accipiat. Tunc ante Tronum Altissimi prostratus ac fidelium suorum plaudente caterva Pastor circumdatus, Psalmistae illa una cum ipsis, laetanter canebit: *Custodiens parvulos Domini humiliatus sum et liberavit me*¹; *semen Israel servi Eius, filii Iacob electi eius*²; *confitemini Domino quoniam bonus*³, *quia in omnia saecula misericordia Eius*⁴.

¹ *Psalm.* CXIV, 6.² *Id.* XXI, 25.³ *Judit.*, XIII, 21.⁴ *Daniel.* III, 90.

PARS ALTERA

DE

BONI PASTORIS

OPERA

EIUSQUE PECULIARIBUS OBLIGATIONIBUS

Quemadmodum in salutari addiscenda arte, si generalia tantum principia legesque quibus humani corporis oeconomia firmatur ac regitur, et rationes quibus universim vires nostras aggredi et extenuare morbi valent cognoscantur ac perspiciantur minime sufficit, sed per singulas doctrinae partes regulasque discurrere, immo veluti singularum affectionum origines, progressus et decremента scrutare, singularumque medicinarum attingere virtutes oportet; ita et nobis, postquam praecipuas at generales, pastoralis regiminis recolimus normas, peculiarem eorum praxim investigare ac in re agendi rationem practicam memorare oportet. Ad hoc vero [brevitatis perspicuitatisque causa] si quid cum singulis qui vel in Pastoris sollicitudinis partem vocantur [eius Praepositi ac aequales], vel eius curae subsunt [Coadiutores ac fideles scilicet] praestare ipse debet memorabimus, satis nos acturos existimamus. De his, igitur, ex ordine [canonicis, ut plurimum, adductis normis] concinne at ad bonum pastoralis assequendum regiminis quod satis fuerit, recalemus. Sed in primis et ante omnia, quaedam praeliminaria praecedant oportet.

I.

Quoad tum spiritualem, tum temporalem Paroeciae administrationem.

CAP. I.

PRAELIMINARIA

Articulus I.

DE PAROECIAE EIUSQUE CURATORIS CANONICA CONDICIONE.

§ I. — De Paroecia et de Parochi electione ac regimine in genere.

SUMMAE RERUM. — 163. Animadversiones praeviae. — 164. Canones quoad erectionem, divisionem, dismembrationem ac unionem paroeciarum. — 165. Quae quoad Parochi electionem ac gubernationem ipsi jubeant. — 166. Pastorale commentarium.

163. — Antequam ad argumentum nostrum, pressius sumptum, deveniamus, tum paroeciae, tum Parochi canonicam condicionem innuere praestabit. Enimvero quae Curatoris animarum tum iura, tum debita in Superiores, aequales et inferiores necnon in pastoralis ministerio sint, ex ea tantum perspicue apparet.

164. — Quoad paroeciam pressius sumptam canones¹ sic audiunt:

I) Certa dioeceseos Ecclesia quae populum certis limitibus distinctum, et Presbyterum seu Rectorem proprium habet, qui missione accepta ab Episcopo et sub eius dependentia, eidem populo sacramenta, verbum divinum et alia ordinis spiritualis ex officio et ratione stabili administrat², Paroecia est.

II. — Praeterquam in iurepatronatus³, et in casibus propter reservationem⁴, consuetudinem, praescriptionem vel privilegium, excipiendis, Parochos omnes auctoritate propria, nominat et instituit Episcopus⁵.

III. — Inter dignos, digniores⁶ ad vacantem paroeciam, sub conscientiae gravitate Episcopus [si in electione libere procedit] eligere debet.

IV. — Ad indignos arcendos ac digniores eligendos, paroeciarum collationi concursus, iuxta formam a RR. Pontificibus determinatam⁷, vel locales consuetudines

¹ Cfr. Deshayes, Aichner, Ogetti, Santi, Bouix, Lucidi, Lombardi, Cavagnis, Wernz, Nasoni, ecc. *Op. cit.*

² Santi, *Op. cit.* vol. III., tit. XIX, n. 3.

³ Cfr. Id. *De Jure Patronatus.*

⁴ Cfr. *Regul. Cancellar.*

⁵ S. C. EE. RR. 14 april. 1890.

⁶ Cfr. D'Annibale, *Summula*, III, 38; Barbosa *De offic. Episcop.* III, 60, 101; S. Alph. IV, 92.

⁷ Pius V, *In conferendis*, 18 mart. 1567; Clement. XI, *Instruct.* 10 jan. 1721; Benedict. XIV, *Cum illud*, 14 dec. 1742.

praemitti debet; quod tamen, probabiliter tantum, pro Parochis amovibilibus, in paroeciis quae sint iurispatronatus laici, exigui redditus, aut pro quibus qui se velit examini subiicere nemo inveniatur, haud locum obtinet¹.

V. — Dotes in Parocho requisitae sunt: a) presbyteratus [saltem infra annum a die institutionis suscipiendus²]; b) aetas 24 ann. expletorum; c) idoneitas quoad scientiam ac mores³, per examen quotiescumque videbitur Episcopo comprobanda.

VI. — Parochus, etiam si ad paroeciam amovibilem⁴ electus, per se ipsum⁵, infra duos menses a die adeptae possessionis, in manu Episcopi aut, eo impedito, coram Vicario Generali Pianam fidei professionem⁶, necnon ante capiendam beneficii possessionem antimodernisticum iuramentum emittit⁷, tenetur, et quoad primam haec obligatio urget quoties nova paroecia suscipitur⁸. Hanc fidei professionem omittentes, fructus beneficii suos non faciunt, quos proinde tenentur restituere a die elapsi bimestris per legem concessi.

VII. — Parochi officia: a) Primum est erga superiores, Romanum, scilicet, Pontificem et dioecesis Ordinarium obedientia et reverentia, quorum praecepta et mandata adamussum tenetur cognoscere et observare. Praesertim Episcopi, tamquam principalioris omnium dioecesanorum, Pastoris auctoritatem Parochus reverenter suscipiat eiusque exquirat consilia, quem uti Patrem atque in animarum cura coadiutorem confidenter adeat. Et de hoc statim.

b) Quamvis in inferiori ordine, attamen patris, pastoris ac doctoris munere Parochus fungitur, et verbis, operibus et exemplis commissi sibi gregis supernaturalem vitam tueri ac promovere debet.

c) Iure ecclesiastico, fundato tamen in iure divino, ad residentiam intra propriam ecclesiam servandam Parochi tenentur, de qua alibi diximus.

II. — Novae paroeciae erectio, seu constitutio, creatio, divisione seu dismembratione et unione fieri potest. Ad rem:

a) Paroeciae creatio ex populo vel territorio antea nulli paroeciae annexo, ordinaria auctoritate Episcopi perficitur.

b) Possunt Episcopi invit⁹ sed non inconsultis Parochis et aliis interesse habentibus, obtento etiam de iure communi consensu capituli cathedralis¹⁰, novas erigere paroecias ex aliarum divisione seu dismembratione, si ob locorum distantiam vel difficultatem¹¹, parochiani, communiter et absque magno incommodo, ad ecclesiam non possint accedere. — Nimia populi multitudo per se non est causa sufficiens di-

¹ Cfr. Bouix, *De Paroch.* p. III, 5, 3, c. 2.

² Cap. *Licet*, de Elect. in 6^o.

³ Trid. VII, 3; XXIV, 12.

⁴ S. C. C. 15 dec. 1866, *ad Episcop. S. Deodati*, 15 dec. 1866.

⁵ S. C. C. 9 febr. 1756.

⁶ Trid. XXIV, 12. — Cfr. Pius IV, *Injunctum* 1564, Pius IX decret. 20 jan. 1877; Cfr. ad calc. vol. docum. I.

⁷ Motu-Proprio SS. D. N. Pii PP. X, *Sacrorum Antistit.* d. 1 sept. 1909. —

Cfr. ad calcem voluminis ad rem documentum II.

⁸ S. C. C. 15 dec. 1866, *Ad Episcop. S. Deodati*.

⁹ Trid. XXI, 4 — Cap. *Ad audientiam* 3, *De Ecclesiis aedificand.* X, III, 48.

¹⁰ Cfr. Doct. in tit. *De his quae fiunt a Praelatis sine consensu*, Decr. Greg. IX, III, 10; Bouix, *De Capitul.*, p. IV, c. 3.

¹¹ Trid. XXI, 4 et DD. ad Cap. *Ad audientiam*.

smembrationis¹, neque haec fieri debet vacante parochia, nisi paroeciae defensorem Episcopus, ex officio, constituerit². A dismembrationis sententia non datur appellatio suspensiva³, sed tantummodo devolutiva ad Metropolitanum, aut etiam directe [per S. C. Consistorialem] ad Pontificem, iuxta circumstantiarum diversitatem.

c) Possunt Episcopi triplici modo in iure noto [videlicet per confusionem, accessionem ac exaequationem] uniones⁴ paroeciarum, quae tamen sint vacantes, peragere; item alienae paroeciae beneficium quoddam non curatum accessorium unire⁵, non autem viceversa⁶. Ecclesiae evidens utilitas vel necessitas⁷, unionis causa esse potest: requiritur tamen praevia citatio omnium interesse habentium, necnon, de iure communi, capituli consensus⁸.

165. — Quoad Parochi munus vero, generatim, canones⁹ sic audiunt:

I. — Ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum ac perpetuum peculiaremque Parochum Episcopi assignent, qui oves cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta fideles suscipiant, S. Tridentina Synodus iubet¹⁰.

II. — Parochus est clericus deputatus ad curam animarum, ex officio [titulo] et proprio nomine gerendam, pro certo dioecesanorum numero, qui ab ipso vicissim, aliquatenus, sacra suscipere tenentur.

III. — Generalia Parochi iura [peculiariora per singula recolemus] huc redeunt:

a) Iurisdictio Parochi, cum non per modum voluntariae simpliciter commissionis accepta sit, sed ab ipso iure officio et titulo adnexa, non est mere delegata, sed ordinaria¹¹.

b) Nulla Parochus externi fori iurisdictio competit: igitur proprie dictam potestatem, legislationem iudicariam aut coactivam in subditos exercere nequit¹².

c) Parochus, vi sui officii, iurisditionem obtinet in parochianos, idest in omnes fideles intra paroeciae limites domicilium aut quasi-domicilium habentes, tamen exceptis qui, superiore iure, fuerint exempti. Et in vagos, per accidens, auctoritatem suam exercere ipse potest. — Fidelis quilibet paroeciae extraneus, ipso facto morbi gravis quo accidentaliter detinetur, fit parochianus.

d) Quoad exemptos regulares utriusque sexus eorumque domos ac monasteria, fere nulla sunt Parochi iura, nisi ratione exterioris negotii, aut sacri ministerii extra claustrum in ecclesia parochiali, vel apud saeculares exercendi¹³.

e) Communitates, hospitalia, seminaria aliave personarum col-

¹ Trid. *ibid.* et saepe S. C. C.

² Fagnanum et DD. ad Cap. cit. *Ad audientiam.*

³ C. *Ad audientiam.*

⁴ Cfr. Ferraris, *Unio*: Doct. in Cap. *De Praebendis.*

⁵ Trid. XX, Cap. 8, *De excess. Prae-lator.*, X, V, 31.

⁶ Trid. XXIV, 13.

⁷ Cap. 33. *De Praebendis.*

⁸ Trid. VII, 6, 3, XXI, 5; Clem. V, *De rebus Ecclesiae non alienandis.*

⁹ Cfr. Deshayes et DD. cit.

¹⁰ Trid. XXIV, 13.

¹¹ Cfr. Bouix, *De Paroch.*, I, sect. 2, c. 7; S. Thom. *Supplem.* q. 8, c. 5, ad III.

¹² Suarez, *De Censuris*, disput. II, sect. 2, n. 10; Benedict. XIV, *Synod.*, V, c. 4; S. Thom. *loc. cit.* q. 22, artic. I.

¹³ Cfr. Doctor. in tract. *De Regularium exemptionibus.*

legia de iure communi nisi legitima superioris auctoritatis declaratione fuerint exempti, ordinariae Parochi iurisdictioni subsunt. Attamen cappellanos qui delegationis episcopalis virtute, sacri ministerii functiones independentem a Parocho exercent, inibi Episcopus constituere potest.

f) Magisterii ratione sacrae doctrinae a superiori Ecclesiae magisterio fideliter susceptae, propagationem et conservationem parochianos inter iure proprio in suo ordine Parochus promovet.

g) Ratione imperii tum praeceptorum Ecclesiae adimplerione, tum pie consiliorum evangelicorum exercitio, in sanctitatem ac salutis aeternae viam, non externi quidem, sed interni fori auctoritate, in suo ordine iure proprio parochianorum voluntates Parochus dirigit.

h) Dispensandi in superiore lege communi pontificia seu episcopali, nullum Parochus ius est. Attamen, ex [recepta] consuetudine, pro casu particulari et ad tempus, ex rationabili causa, saltem per modum declarationis, in ieiunii, abstinentiae et diei festi observantiae lege, dispensare Parochus licet. — In votis vero nulla ei dispensandi potestas competit.

i) Parochianis universaliter sacrum impendere ministerium quod ipsi exclusive in quibusdam determinandis casibus convenit, munus, in iuris intentione fundatum, Parochi proprium est. De quo infra ad singula.

166. — Ex his canonum praeceptis, quaedam corollaria erui possunt, quae sic, paucis, perstringimus:

a) Quam grave Pastoris munus sit ipse consideret, quo ad eius adimplenda munia officiaque sollerter ac continuo incitabitur. Enimvero si pastoralis artis nobilitatem, ac dignitatem, tum ex grege, tum ex Pastore et his quae eos circumstant [praesertim nunc temporis] difficultatem, et, tandem, eius ex divino iudicio periculum quis consideret, ut ab hoc munere haud deterreatur fieri nequit. At non nostris, sed Dei fidendum viribus, quae perditionis ignominiaeque vasa, in electionis salutisque instrumenta, nullo negotio, commutare potest. Sursum, igitur, cor Pastor attollat, ac omnem in Deum iactans fiduciam suam, ad arduam pastoralis muneris operam fidenter, strenueque manus admoveat; cui si deficiat, non solum suae, sed Episcopi, immo, et Summi Pontificis sollicitudines frustra impensae forent. Quamvis, enim, hi in ecclesiastica hierarchia primos gradus obtineant et Parochus veluti postrema in serie reperiat, attamen si hic infringeretur annulus, et catena universa, etsi aurea, ad nihilum redigeretur. In sanctae, igitur, fidei, perseverantiae et communionis, triplici vinculo, cum Pontifice ac Ordinario suo coniunctus, non quidem ex redditibus seu ex insignitate ac loci propinquitate, verum ex numero ac exemplaritate animarum de paroeciae iudicium ferre discat. Ut itaque salutis fructus, quos Ecclesia universa ac Ordinarius de sua ipsius opera expectant [in quibus summa unica, ac genuina gloria boni Pastoris est], perquam feliciter afferantur, Pastor bonus omni contendat nisu.

b) *Moralem Paroeciae indolem Pastor consideret, in qua illam, nimirum, gregis dominici portionem, familiam, christianae vitae centrum spectet, ex quo et in qua veritatis, christianaeque observantiae radius ac lumen, in cunctarum sibi concreditarum animarum salutem emittitur. Idcirco, non nomine tantum, sed et re et effectu Pastor sit, cui omnes oves in omnibus, fidenter ac tute, in quibuscumque suae vitae adiunctis recurrentes, consilia, adiumenta, sacramentaque accipere valeant. Haec genuina ac canonica paroeciae, per saeculorum seriem iamdudum tradita, idea est, quam ut eam quoquomodo violare nemini liceat, qui gregis utilitatem haud disperdere intendit, attente considerare oportet. Licet vero [quod numquam satis lugendum] Statuslatria quaedam fere ubique invalescens, hanc canonicae paroeciae ideam in multis perimere contendat, attamen, quantum fieri potest, his omnibus diabolicis artibus strenue obsistendum, ut Ecclesiae Sanctae in omnibus libertas, immunis servetur. Ex ipsa, enim, dominici gregis emolumenta plurimum pendere sciunt omnes.*

c) *Quamvis, ex canonum ordinatione, omnibus dioecesis clericis censuris haud ligatis, ad paroecialia beneficia contendere licitum, attamen hi qui Ordinario haud praemonito vel eo renuente¹, concursum adeant, quanta reprehensione digni sint, nemo est qui non videat. Idcirco, sacerdos quilibet vocationis suae ac ministerii pastoralis momenti haud oblitus, antequam ad hanc probationem accedat, tum consilium, tum [quod praestantius ac prudentius] Ordinarii sollicitationem expectet, quo, obedientia duce, multa sane pertimescenda devitabit.*

d) *Insuper quoquomodo res cedat, non ex scientia tantum, sed et complurimis aliis ex circumstantiis, de quibus examinadoribus una cum Episcopo iustam dicere sententiam est, paroeciae collationem dependere, sacerdos bonus consideret. Nullae, igitur, in re mussitationes, dicteria nulla cum nemine habeantur; quae si hinc inde pervagentur, indignitatis suae testimonium, omnibus audientibus praeberet.*

e) *Quamvis non delegata, sed ordinaria Parochi potestas sit, attamen, iuxta canones ac peculiare Episcopi placitum ea utatur, ut eius genuinum ac verum subditum decet. Idcirco, potiusquam ab Ordinario independentiam, suam qua ipsum erga tenetur obedientiam adeo Pastor recogitet, ut in omnibus ac per omnia Episcopi placita suo in grege compleat. Pastor, enim, qui unum cor ac animam*

¹ Singula, quaeso, verba perpendantur; nam, si secus, Clar. Frassinetti [*Il Parroco Novello* P. I. C. I. § 67] oppositam rationem suadet, quam, tamen, haud unanimiter DD. suscipiunt.

unam cum Episcopo sortitur, per sanctam ac securam obedientiae incedendo viam, una cum dilecto grege, salutis portum ingreditur. At de hoc statim.

§ II. — Qua ratione pastorale munus auspicandum sit.

SUMMAE RERUM. — 167. Animadversiones praeviae. — 168. Quae in possessione capienda practicae normae prae oculis habendae. — 169. De paroeciali domo constituenda. — 170. De generali paroeciae notitia sibi comparanda. — 175. Qua ratione pastorali regimini admovendae manus.

167. — *Quamvis gravissima pastoralis regiminis perpendentibus onera, dies in qua dilecti gregis curam Pastor suscipit, potiusquam laetitiae ac gaudii, moeroris luctusque dies sit, attamen, pro sancta plebe [luctuosam viduationis suae deponente clamidem] exultationis est, atque ut eius laetitiae Pastor quoque particeps efficiatur, omnino expedit. Igitur, potiusquam in viribus suis, in Deo omnem fiduciam iactando suam, dum, sacrae campanae pulsu ac instrumentorum sonitu, in suo horto concluso prima vice pedem Pastor figit, suam dilectam amplexetur Sponsam, ac cum illa vivere, agere ac mortalium concedere sorti omnino sibi propositum habeat. Dum vero humanas audit laudes ac laetitiae signa conspicit, si gratos sui animi sensus expromit, et gravissima Pastoris munera in suae mentis sacrario recogitet, ac, humilitate duce, in illum qui potens in misericordia est fidens, ad vineam Domini electam alacriter excolendam vires insumat.*

168. — *At in pastoralis regiminis initiis perplures devitandi scopuli veniunt, quo in negotio sequentes prae oculis habere normas iuvabit. Igitur:*

a) *Antequam suam Pastor ingrediatur paroeciam, immo statim ac de sua electione certior fit, civitatis vel pagi decurionem, comiter admoneat, quod, ut inter ecclesiasticam ac civilem potestatem concordia ineatur feliciter plurimum confert.*

b) *Si Paroeciae deputatio, auspicationis obedientiaeque profitendae causa, eum ante possessionem capiendam adeat, perquam comiter illam suscipiat, gratias agat, ac, omnibus sese novo dilecto, gregi vivere, candide at sincere obtestetur.*

c) *Postquam a gubernio patentes beneficii litteras [placet] susceperit, Episcopum adeat ut, una cum illo quae ad introitus diem ac modos spectant [spirituali Paroeciae Economo deinde communicanda] ordinare ac cuncta quae ad futuram suam gubernationem faciunt pressius diligenterque praefinire valeat.*

d) Interim, adeo prudenter se gerat, ut nil promat vel dicat quod muneri suo officere deinde possit. Quae, igitur, in Antecessore laudanda sunt, enixe ac ex corde laudet: si quae vere reprobanda habeantur, sileat ac, si opus, est, excuset. De longinquis, enim, ac, de ut plurimum, ignotis iudicare rebus saepe arduum, semperque periculosum. Omnia, igitur, attente ipse audiat, et de omnibus thesaurizet; sed, donec quae reapse sint de visu dignoscat, plurima dissimulet, multaque taceat.

e) In diei sermone, prudenter, sincere, affectuose, ac pastoraliter se habeat, quo tantum indiscreta, subdola quaeque ac profana devitanda, optimam de semetipso in grege [qui novi Pastoris personam lynceis iam scrutatur oculis] opinionem [ex qua sequentia plurima ortum ducunt], imprimat ipse. Non multa polliceatur, Antecessorem suum ac fideles omnes dilaudet, ac suo pro grege vivere, pati ac mori se velle ex corde profiteri ne omittat, quo tantum pastoralis amoris venerationisque vincula, indissolubili fere nexu, cum eo devincietur.

f) Civiles Potestates, statim ac ei licebit, invisat, ut sui erga ipsas obsequii testimonium praebat, quin, tamen, suae futurae in dominico grege libertati earum in saepe fallacibus dexteris abdicet.

169. — Novensilis Pastor, quum ad paroecialem parandam domum convertit animum, illius Tridentinae Sinodus: *modesta suppellectili* [Pastores] *contenti sint*¹ bene memor, ne Christi paupertati [quam imitare tenetur] iniuriam irroget, ne sollicitudinem qua pauperum Pastor [ex officio] esse jubetur offendat, neve, demum, inconsiderata sui agendi ratione, diceriis pene infinitis ambas veluti praebat ansas, sedulo cavebit. Adeo, igitur, sui status decentiae consulat, ut *nemini dans ullam offensionem*², ab ipso sui regiminis limine, et in hoc quoque, plebi suae aedificationi sit.

170. — Quamquam noviter dominico gregi datus Pastor, ut de sibi colendo agro opportunas notitias sumpserit sui ingressus diem haud quidem expectasse praesumitur, attamen ut quae iam sciverit, de visu etiam deprehendat, atque suas de re notitias, quoad eius fieri possit, augeat perficiatque, primis suae operae diebus sedulo studebit³. Quapropter:

a) Praeterquam ab Episcopo, a finitimis loci Parochis, vel a Spirituali paroeciae Oecono, vel a sacerdotibus coeteris, necnon a

¹ Sess. XXV, *De Reformat.* C. 1.

² II *Corinth.*, VI, 3.

³ Cfr. Frassinetti, *Il Parroco Nuovo*, Par. I, Cap. II, 7.

⁴ I *Thessalonic.*, V, 21.

prudenter ac cautissimis laicis, de paroeciae statu notitiasa [prudenter quidem discernendas], sibi suppeditari curet.

b) Prudentissime quidem et indirecte tantum, quae in praedecessori suo paroecianis minus accepta fuissent [ut ea pro posse devitet] vel quidquid, e contrario, ipsis gratius evasisset [ut imitetur] pro viribus nosse studebit.

c) Quenam deploranda eradicandaque in paroecia sint sedulo perspiciet, ut, quando prudentia siverit, opportuna remedia adhibeat.

d) Quenam vicissim laudanda, servanda, augendaque fuerint dignoscat, ut dum evellenda extirpat, firmandis excolendisque incrementum afferat.

e) Apostolo vero monente: *omnia quidem probate, quod bonum est tenete*¹, non omnibus tamen Pastor praestet fidem; plura, enim, adsunt quae bonorum etiam iudicium a recto tramite divertunt, quibus, si indiscrete Pastor sese committat, inde a sui pastoralis regiminis liminet [quod perniciosissimum] aberrare videbitur. Plurimos, enim, cum recte intentione, personarum acceptione, ialousia, partium studiis et ita porro se abripi sinentes, semper ac ubique haberi, pro certo Pastor teneat.

f) Tum in externo paroeciae regimine, tum in spirituali animarum cura, in quantum conscientiae ac prudentiae ratio concesserit, omnia in quarum notitiam devenerit, ad operae suae rationem adhibeat,

171. — Tandem ad dominicum peragendum opus perquam prudenter manus admoveat, et praesertim usquedum omnia ac omnes consideret, dignoscatque, neque in suis coadiutoribus, neque in aedituis, neque in paroeciae consuetudinibus ac populi moribus² nil [nisi gravissima de causa] immutare audeat. Primus, enim, saltem regiminis annus considerationis meditationisque est, quo elapso, quae agenda sunt, sensim sine sensu et perquam prudentissime, perfici possunt. immo et debent. Parochus, enim, qui suam dilectam paroeciam haud in melius commutaverit, suo officio deesse pro certo habeat. Sed de hoc, de prudentia agendo, diximus alibi².

¹ I, *Thessalonic.*, V, 21.

² Cfr. pag. 128.